

et oratorum elenchum exhibere; conventu autem habito, is qui ei praefuit, ad eandem S. Congregationem referat de rebus tractatis, de disputationibus habitis, de conclusionibus collectis, et generatim de omnibus quae accommodatam perfectionis Statuum renovationem tangunt.

3. Ubi vero iam existunt foederationes seu consilia Superiorum Maiorum cum statutis propriis ac commissionibus peculiaribus adnexis, a S. Sede approbatis, opportune eorum opera eligi poterunt, atque Sacrae Congregationi proponi, viri probati qui in conventibus cursibusve supradictis verba facere valebunt.

4. Laudabiliter ab Exc.mis Locorum Ordinariis convocantur Statuum perfectionis Sodales, qui in dioecesi domum habent ministeriumque exercent, ad illa cum eis examinanda, communicanda vel paterne discutienda, quae ministeria ab ipsis exercita, quatenus legitime dioeceses intersunt, pertinent. Tales enim conventus valde commendantur utpote qui ad unitatem cum Patre et Pastore gregis attestandam ac fovendam, atque ad apostolatus munera promovenda efficienterque dirigenda prorsus apti videantur.

Quae omnia, si sedulo et accurate fient, nedum coetus atque conventus et incepta quaeque ad renovationem accommodatam Statuum perfectionis ordinata impediunt vel cohibeant, verum etiam ad uberiores fructus in dies afferendos ea iuvabunt quam maxime.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 26 Martii A. D. 1956.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. + S.

Arcadius Larraona, C. M. F., *Secretarius*

(A.A.S., vol. 48, pag. 295-296).

ADNOTATIONES

Non semel opportunum censuit Sancta Sedes proprias agere partes ac ad proprium vigilantem revocare consilium, ea quae peculiarem doctrinam atque specificam, attinere videntur (cfr. quoque nuper editum decretum Pontificiae Commissionis Biblicae — A.A.S., 1956, pp. 71-74). Cuius rei causa semper eadem manet, sese nimirum certiore facere de huius doctrinae integritate relate ad Ecclesiae Magisterium, opportunitate quoque servata rationis, temporis, loci, personarumque tutelae.

1. Porro praesens documentum S. Congregationis de Religiosis formam decreti induit; quocirca non partium instantia, verum, propria voluntate ac motu proprio S. Congregationis editum est; item, eo quod decretum, non doctrinalem ordinem respicit, cum nihilo secius elementis doctrinalibus non careat, at singillatim ordinem dispositivum, uti aiunt, seu administrativum, plerumque refert: quod decretum apprimè ab Instructione secernit.

Sane in hoc decreto expressa mentio fit Summi Pontificis approbationis, quae habita est in Audientia Em.mo Cardinali Praefecto concessa die 3 Novembris 1955; sicubi agatur de actu gravi et extraordinario, ut plane videtur, haec approbatio omnino requirebatur ad normam can. 244, § 1, quo sequentia statuuntur: « Nihil grave aut extraordinarium in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorundem Romano Pontifici fuerit antea significatum ».

Quambrem etsi non affirmandum agi de confirmatione in forma specifica, (et hac de ratione decretum manet, ex consequenti, formaliter actus S. Congregationis), constat tamen eidem profecto confirmatione pontificiam concedere vim novam, novasque tutelam ac fidem.

Decretum ex praeambulo componitur (cuius in fine, expresse cavetur de iuribus quae, iuxta Codicem, ad Exc.mos Ordinarios pertinent) atque ex quattuor numeris; quos, postea, sequitur de plano conclusio, itemque, omnium decretorum, immutabilis clausola: « contrariis quibuslibet non obstantibus ». Dein Em.mi Cardinalis Praefecti et Exc.mi Segretarii subsignificationem refert documentum.

Ex quattuor numeris quibus constat decretum, n. 1 generalem dispositionem continet ad modum prohibitionis, cum exposita plane reservatione iuris, ex parte S. C. de Religiosis; n. 2 proceduram potius statuit, quatenus modum determinat et tempus recurrendi ad S. C. quo permissio obtineri queat de qua in n. 1 una cum obligatione reddendae in fine rationis; n. 3 Foederationum et Consiliorum a Majoribus Superioribus habendorum positionem definit de collationibus seu coetibus instituendis; n. 4 consecratus est ad delineandam ac sanctionibus muniendam peculiarem concretamque formam illorum coetum qui a locorum Ordinariis convocati ab iisdem praesidentibus concluduntur.

2. Sane, in titulo decreti, per quem contentarum in ipso dispositionum determinatur obiectum, vigilanter sermo fit « de statibus perfectionis », quatenus significari possit in limitibus eiusdem, ideo-

que sub eius praescriptionibus comprehendj non modo statum canonicum, verum etiam statum perfectionis juridicum. Ac singillatim Ordines, Congregationes religiosas Societatesque vitae communis absque votis, quae a S. Congregatione de Religiosis (c. 251 § 1) reguntur, quaeque perfectionis statum canonicum constituunt, simul ac saecularia Instituta quae ab eadem Congregatione moderantur, ad normam C. A. « Provida Mater Ecclesia » (art. IV, § 1) quaeque perfectionis juridicum statum efformant, completum quidem, at non canonicum.

3. Profecto n. 1 Decreti, quod commento sumimus exponendum, continet — modo vel exteriorem vestem eiusdem muneris quis examinet, discutiat — generalem dispositionem, ad modum legis prohibentis, quae duas praesefert diversas rationes atque complementares:

a) Status perfectionis, primum, ac ideo personae ad ipsos pertinentes, ab ulla possunt convocari persona, ab ullo Ente, absque S. Congr. Religiosorum, praevio consulto, paucis exceptis quae n. 4 decernuntur;

b) Nemini licet iisdem perfectionis statibus communia quaeque impertiri magisteria, de iis quae eorum attinent internam vivendi rationem, juridicum statum, sodalium educationem ac formationem, sine praevio consulto Sacrae Congregat. de Religiosis.

4. Convocatio enim statuum perfectionis in coetibus quorum disciplinam statuit Decretum, habet profecto rationem regiminis atque gubernationis, quae uni Apostolicae Sedi sunt pertinere censenda, aut personae vel Enti ab ipsa Sancta Sede expresse delegatis, cum de Societatibus seu personis moralibus characteris universalis agatur, quae Sanctae Sedis ditioni, ad normam juris canonici, directe subjiuntur.

Eadem sane ratione, disciplinae praecepta quae iisdem societatibus proponuntur in materiis quae a Decreto numerantur, rationem induunt illius plane publici ac specifici magisterii, quod recto tramite uni Apostolicae Sedi est reservandum, e qua pendet ordo harum societatum, quodque private exerceri non potest a personis aut Entibus quae veniam vel delegationem a S. C. de Religiosis non obtinuerint.

Quamobrem plane patet sive ad aspectum gubernii et organizationis, sive ad aspectum doctrinalem horum coetuum, pari modo praeviae S. Congr. de Religiosis permissioni esse subiectos.

5. Demum verbis « *agere vel instituere* », dictam permissionem esse necessariam voluit Legislator confirmare, tum si praedicti conventus raro vel data occasione habeantur, tum si saepius ac statutis ipsi convocentur temporibus.

Similiter praevium consultum, de quo in n. 1 Decreti, ad hoc tendit ut venia obtineatur atque permissio a S. Congregatione; venia scilicet ac permissio quae verae et propriae delegationi ac investiturae ideo sunt aequiparandae quod ad actus et magisterium ordinant, quae propria natura Sanctae Sedis reservationi subesse censentur.

6. Determinatis autem, definita ratione, et extensione interdictionis contentae n. 1, et natura permissionis extantis praevio consulto, modo, verbum saltem dicendum de personis quae in interdictione comprehenduntur, item de diversis generibus collationum, itemque de his quae continentur ab obiectis quae sublata fuerunt.

a) Ad personas quod attinet, dicendum eas omnes comprehendj, sive physicae sint sive morales, in amplis atque universalibus verbis a Decreto adhibitis quaeque nullam exceptionem pati videntur. Personas privatas omnes includi, etsi eminentes in ordine doctrinae vel apostolatus; item praecellentes homines — diversarum religiosarum institutionum, sive perfectionis, sive inaeptionis — initiationis operarum religiosarum aut apostolicarum; nec, simili ratione, exceptionem permitti pro personis moralibus, etsi magisterio ac operum coordinationi postea suffectis; itemque non dari exceptionem pro Foederationibus ipsis, aut Coetibus, in diversis Nationibus jam constitutis, uti Decreto n. 3 profecto confirmatur.

Exc. mos Ordinarios quoque comprehendj, firmis extantibus quae certis limitibus statuuntur in n. 4.

b) Quod autem ad diversas Coetuum formas spectat, Decretum loquitur de Congressibus et de conventibus, de curriculis praelectionum ac de peculiaribus scholis.

Porro, statuitur, ut patet, certa differentia inter conventus et congressus, sicubi primi intimiores ac minus extensi habendi sunt, quod characterem minus systematicum ac completum habeant; dum alteri constituunt coetus ampliores, et, generatim, characterem officialem induunt, una cum ordinibus studiorum maioris rationis, organicis atque magis systematicis. Juxta limites territoriales ac sphaeram influentiae, Congressus possunt esse: dioecesani, si sunt pro dioecesibus ordinati; regionales, quod regionem comprehendunt; dein nationales, si urgentur ad generales cuiusdam nationis producendos effectus.

Singillatim quoque considerantur cursus praelectionum, qui singulari ratione brevi tempore suscipiunt individuum argumentum dilucidandum vel caput doctrinae — spirituale, apostolicum aut iudicium — de vita perfectionis, in scholis peculiaribus, quae ordinatum, diversis temporis periodis, magis organicos ac systematicos solent tradere cursus.

c) Adnumerantur autem inter tractationis obiecta quae subtrahuntur: ordo vitae Institutorum internae, eorumdem Institutorum status iuridicus, dein educatio atque sodalium formatio.

Porro ad vitam Institutorum internam pertinere censentur quae regimen attingunt, gubernium, moderamen, administrationem, disciplinam; conditio autem iuridica horum Institutorum, eorumque sodalium, ordinem habet ad diversos « status » quales isti ex jure generali ac constitutionali et ex pluribus particularibus juribus emergere cernuntur; educatio et formatio, theologiam comprehendunt, asceticam vitae perfectionis ac disciplinam; item, ad spectus intellectuales et morales, sive genericos sive específicos, sive religiosos sive saeculares, sacerdotales quoque aut laicales, et apostolicos.

7. Modo examinamus momentum sive genericum sive specificum praescripti. Decr. n. 1: quodam eiusdem sit fundamentum iuridicum restat videndum.

Sane S. Congregatio de Religiosis tamquam ad huius dispositionis proprium fundamentum, adducit iuridicam, internam vitam omnium institutionum status completi perfectionis — modo canonici, modo iudici — propriae supremae subesse moderationi efficaci ac exclusivae, tum ex iuridice statuta sanctione (c. 251 § 1; C. A. « Provida Mater Ecclesia », Art. IV, § 1), tum ex ipsa rerum natura, itemque ex necessitate boni regiminis harum institutionum quae sicubi secundum universalem formam extractae sunt, debent profecto hierarchia characteris personalis inniti, quae a S. Sede recto tramite pendet.

Nunc age, Sacra Congregatio de Religiosis huic supremae efficaci ac exclusivae moderationi abdicaret quodammodo, si inter Ipsam et Status perfectionis extare possent « initiativae », quae dicuntur, ab eadem S. Congregatione, non permissae nec moderatae, quae delicatum munus obirent definiendarum, urgendarum et renovandarum quaestionum tum vitam horum Institutorum iuridicam pertinentium tum disciplinam organizationis ac formationis, aut statuendarum practicarum viarum quae ad consequentiam finium universalium ducere possint.

Ceteroquin non ambigendum, perfectionis Status, publicos aut

ab Ecclesiae legitime recognitos, posse de facili turbari aut interdici, si ad eorum structuram iuridicam constitutionalem quod attinet, et ad eorum internum disciplinare emolumentum quod spectat, (relate ad consequentiam finium apostolicorum), influxui evolutionis processum doctrinalium problematum, ac ductui practicarum directionum subsint, qui constituti non sint, aut praevia ratione moderati, ab illa Romanae Curiae Congregatione, cui horum Statuum tutela ac supremum pertinet regimen.

Demum, non praeterundum, iuridicam competentiam Sacrae Congregationi de Religiosis a Codice conceditam — eodem sane modo ac pro ceteris Romanae Curiae Dicasteriis — simul ac Magisterium publicum et specificum inde profluens, peculiarem supponere technicam competentiam, generalem quoque profundam informationem, quae necessarium fundamentum cuiuslibet gubernii constituunt, quaeque perdifficile, ne dicam impossibile, ibi invenirentur ubi organon opportune atque apprimè pro ipsis constitutum non esset.

8. Quibus profecto iuridicis considerationibus alias etiam, et tunc practicas addere quoque juvat, quae iterum prudentiam, opportunitatem huius dispositionis plane commonstrent:

Omnibus notum est has coetuum formas pro idearum commercio atque experientiarum, quae nostri temporis, diversis concurrentibus causis, (modernis equidem omnibus) extant singulare institutum, admodum raro, in ordine scholarum pure theoretico tantummodo fieri, verum, ex ipsa vi rerum, plus minus directe — modo dixerim necessarie — ad gubernium et ad praxim ordinari plerumque.

Idcirco, si habeantur, coetus isti, debitis cautelis ac securitatibus muniti, item necessaria moderatione firmati, itemque definitis ductibus atque determinatis — ex supremo dimanantibus responsabili competentique Dicasterio — abs dubio efficacia totalis renovationis ac coordinationis instrumenta evadere possint; secus, deficientibus securitatibus istis, coetus praedicti, de facili fieri possunt occasio divisionis et discordiae, obscurationis et confusionis idearum aut doctrinalium aberrationum, una cum perturbatione sive internae disciplinae sive operum apostolatus Institutorum participantium, ex quibus omnibus turbidi generantur motus qui non sufficienter possunt ad realizationes manuduci concretas, ex quo demum plerumque sequitur eos perniciosos esse, molestos.

9. Hae porro considerationes completa ratione nos docent cur, Sancta Sedes (Sacra Congregatio de Religiosis) velit, ante conces-

sionem harum permissionum, semet certiore facere tum de doctrina, tum de opportunitate discutiendarum rerum, demum de competentia ac experientia sive eorum qui praesunt sive eorum qui quoquo modo propria participatione conveniunt.

Praefecto opportunitas copiosae et minutae informationis quae requiritur ad iudicandum de hoc genere coetuum instituendo, necnon de concedenda permissione, clare sane constat, si prae oculis habeantur, et praesentis rei delicata natura, et harum argumentorum difficultas commixta, simul ac quae possunt inde oriri fere infinitae sequelae, una cum incommodis omnibus quae ex hoc genere rerum accidere solent.

Doctrina statuum perfectionis facilis sane non est; dum theologiae quoque plerumque provinciam ingreditur, similiter et asceticae iurisque canonici, sive generalis, sive particularis.

Verum, argumenta etiam, quaestiones, adsunt, de quibus, parum dari possit opportunitatis, in illa sede discutiendi; item elementa concreta (it.-dati) ac relationes quae, nisi prius interciperetur prudentia, manifestari publice non possent, quae tamen, experientia teste, necessario quodam modo publici iuris profecto fierent; quocirca, debita quoque ratione, ea omnia mature sunt perpendenda, quae organizationem spectent et ordinem gerendarum rerum.

Magni quidem momenti est illarum personarum electio, quibus concedatur coetibus praesidere, aut eorumdem coetuum Commissionibus praeesse; quod asservandum quoque censemus in deputandis oratoribus ad argumenta selecta.

Quocirca, peropportunum plerumque erit, ex aequo, repraesentari manus ac vires omnes, quae aciem Statuum perfectionis componunt. Item, sive ex iure generali, sive ex iure particulari, desumptae rationes, vel adeo simplicis opportunitatis rationes, exigere possent quandoquidem, aut imponere ut, certis locis ac circumstantiis, vel quaedam vel omnia saecularia Instituta, simul non convocentur cum Religiosis Institutis, quod vicissim est sane affirmandum relate ad Instituta religiosorum.

Igitur necessarium semper erit, pertractari argumenta, ab illis qui peculiarem ac specificam competentiam detinent, etsi perdifficile quis eam possidebit, cum totam amplam provinciam statuum perfectionis invadere conspiciatur. Sufficiat, exempli gratia, de aequivocationibus parum cogitare atque confusionibus, quae exortae sunt ultimis hisce temporibus, circa conceptum proprii Institutorum saecularium status, ac circa conditionem juridicam sodalium eorumdem Institutorum, quatenus liceat de sapientia opportunitate-

que praesentis dispositionis gratias referre, quod problemata, difficultates, incongruentias funditus solvat.

Quamobrem, certo patet, has circumstantias omnes, omnesque perpendere condiciones concretas atque dijudicare, unius S. Congregationis esse ad quam Sedes Apost. commisit regimen statuum perfectionis, cum ipsae eadem circumstantiae proxime et immediate connectantur cum gubernio et tutela statuum perfectionis et cum eorumdem publico ac specifico magisterio.

10. Numerus autem 2 Decreti, quem ad proceduram pertinere diximus, formas ac condiciones determinat quibus ad S. Congr. de Religiosis recurrendum est.

Sane, munus recurrendi ad eos legitime spectat quibus etiam convocatio et moderatio horum coetuum profecto committitur. Clare quoque edicitur ipsos debere quam citius recurrere, hac nimirum ratione qua fieri possit ut Sacrum Dicasterium, omnibus rite perpendens quae ordinem agendarum rerum spectant, opportunas emendationes, opportunaque commodare queat consilia, dum etiam reliquum informationum colligere potest siquidem hoc aequum esse videatur.

Idcirco ita efficiendum ut corroboretur permissionis petitio informationibus omnibus et necessariis documentationis, adeo ut Sacra Congregatio suum praeivium examen instituere possit: nam n. 2 elenchum tangit argumentorum quae pertractanda sunt et nomina eorum qui eadem argumenta forte disceptent.

Plane censendum, nullo sane modo, ad coetuum convocationem et ad missionem invitationum procedi posse, quoadusque Sacra Congregatio non dederit suam permissionem, suam approbationem programmaticam.

Porro praeter hanc S. C. praeviam interventionem, aliam quoque novimus secundam extare, quae, praecise post coetuum conclusionem Actorum antecedit publicam editionem.

Praesidentis est iterum ad S. C. recurrere ut de pertractatis quaestionibus reddat rationem, de discussionibus habitis, de conclusionibus actis.

Donec Sacra Congregatio hoc secundum examinem, hanc secundam recognitionem, compleverit, item donec approbata documenta remiserit, nec ad Actorum publicationem, nec ad conclusionum executionem, integrum erit procedere.

11. N. 3 Decreti, de Foederationibus ac de Consiliis Superiorum Maiorum decernit.

Primum tenendum has omnes morales personas ab Ap. Sede rite approbatas, statutis propriis ac commissionibus adnexis, non constituere, ne quidem constituere posse, organismum gubernii; siquidem agitur de liberis associationibus quae munera studii, munera consilii, adeo obeunt, quod in commodum generale diversorum statuum perfectionis cedere possint, quaeque, data occasione, apud Auctoritates civiles et ecclesiasticas repraesentationis quoque officia praevertere possunt.

Ut supra, in commentario ad n. 1, dictum est, isti organismi, ad effectus de quibus in Decreto, status perfectionis convocare nullatenus possunt; quae ita statuuntur, sive attenta extensione secundum quam proponitur dispositio a S. Sede emanata, sive ipsa item natura perspecta personarum moralium quae ad mutuum adiutorium tendunt mutuumque emolumentum, cum libertate voluntaria donentur relate ad singula Instituta.

Cum autem naturam et activitatem horum organismorum detexerimus una cum interdictione n. 1 quae easdem continere probavimus, perspicue patet quo modo opera eorum utilis evadere possit, dum et trames potest considerari in rebus cum S. Sede pertractandis, et proxima fons eorum comparationum, collationum, eorumque consiliorum et argumentorum quae idoneum iudicium valent efformare de proiubitate personarum quibus et facultas conceditur coetibus participandi, et potestas committitur quaestiones in iisdem coetibus dilucidandi.

12. In n. 4 et ultimo Decreti, sermo fit de potestate quam habent Exc.mi Ordinarii, illorum statuum perfectionis sodales convocandi, qui domum in dioecesi possideant aut concreditum sibi ministerium perficiant.

Quorum demum coetuum finis et limites iterum ab ipso Decreto statuuntur. Nam in dictis coetibus Exc.mus Ordinarius examinat, paterno modo de iis omnibus cum sodalibus statuum perfectionis discurret, eisdemque ea omnia communicat quae attinent aut attinere possunt ministerium seu apostolatum ab ipsis praestitum, singillatim quatenus in finibus dioecesis praestatur.

Decretum profecto hos coetus adeo laudat, eos ideo commendat quod videt in ipsis congruum medium tum ad manifestandam corroborandamque unionem status perfectionis inter ac Ordinarium, dioeceseos Patrem atque Pastorem, tum ad diversa apostolatus opera, promovenda, dirigenda, efficaciter preferenda.

Hi sane coetus ab Exc.miis Ordinariis convocatis non vitam internam, non juridicam Institutorum conditionem respiciunt, nec

sodalium educationem aut formationem, sed apostolatum tantum; apostolatum, inquam, praecise quatenus ab ipsis Institutis in ambitu dioecesis praestitum novimus.

Quo fit ut haec S. Sedis dispositio novum argumentum nobis praebeat de modo quo S. Congr. de Religiosis vult, diversos status perfectionis, etsi exemptos, efficaci tamen ac sanctificanti Exc.morum Ordinariorum moderationi esse subiectos in his omnibus quae dioecesanum apostolatum spectare videntur. Quocirca recta potest ratione affirmari, conceptum exemptionis, quoad ad aspectum externum et dioecesanum aut localem apostolatus Institutum, in actibus S. Congr. de Religiosis doctrina et praxi, involutionem pati.

Hoc, vigilantia cura contenditur, ut docili successu in manibus Ordinarii ponantur vires vivae omnes in dioecesi existentes, ex quolibet clero dimanantes, hac quidem de causa ut in lucta, in pugna, quae in territorio dioecesis hinc inde dimicatur, contenditur, eadem possint funditus immisceri.

Demum sapiens haec dispositio affirmat, confirmat, sanum extare talem in statibus perfectionis necessarium universalismum, qui urgendus est, intelligendus est, et reverendus; similiter docet in statibus perfectionis, extare quoque localismum, qui pari ratione, definiendus est, itemque opportunis mediis roborandus. In adpectu universali Status perfectionis a S. Sede pendent, in adpectu locali Ordinariis subsunt.

Quibus omnibus fit ut, si littera huius Decreti, si spiritus, recta mente concipiantur, quo melius inde, docilius ad usque praxim apte deducantur, Status perfectionis itidem interius exteriusque adeo corroborentur, ut abundantioribus in dies fructibus in bonum Ecclesiae, in bonum animarum fluere possint.

Romae, die 26 junii 1956.

Sac. SALVATOR CANALS